



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

In Funere cujuslibet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

cipes mundi plerumque ad regnum deducit elemosyna, eosque manu suâ Regi cœlesti repræsentat. Hâc viâ ad cœlum, aliâs facilius camelum intrare per foramen acûs quam divitem in regnum cœlorum, alia media ægrè divitibus succedunt. Oratio qualis? &c. Chrylost. *Sola elemosyna est cui porta cœlorum aperiuntur, & illâ intrante nullus janitorum audeat dicere, quæ es tu? aut unde venis?* Hâc usus defunctus facile per portas cœli transit, jam illum Christus salutat. *Euge serve bone, &c.* Interea quia est severa DEI justitia, oremus pro defuncto.

### In Funere cujuslibet Fragmentum.

**M**ulta de familia, multa de ipsius defuncti gestis possem dicere. Solùm dicam, de pueritia, Adoleſcentia, & virili ætate defuncti, quòd in omni fuerit perfectus.

Natus, &c. Educatus ut Filius Constantini de quibus Baronius. *Constantinus magnus in tribus Filiis Constantino, Constantio, Constante, semina pietatis sparsit, tùm suis divinis præceptionibus, tùm Magistrorum diligentia, quos omnibus virtutibus eis insignes præfecerat, quemadmodum & in aliis disciplinis eos adſerverat qui essent in suo genere consummati.* Quare dici de illo potest, quod de S. Eleazaro. *Apuero optima conversationis erat, & secundum sancta condita à DEO leges constituta educatus, tùm in scholis, tùm extra Patriam.* Jam quid egit Adoleſcens. Quid vir, ornavit domum dignitate Matrimonii, Amore in proximos, observantiâ in Principem, pietate in Patriam, Religione in DEUM, & S. Ecclesiam, in his agebat, ut de illo posſit illud Nazianz Orat. 10. dici. *Majores suos generoso impetu assequeratur, nec à summis illorum virtutis agitationibus longo intervallo distabat.*